DE

COLLEGIO

NOBILIVM ADOLESCENTIVM

POST ANNOS LIIII

PATRIBVS SOCIETATIS IESV

SINGVLARI BENEFICENTIA

LEONIS · XII · P· M

FAVSTE FELICITER RESTITVTO

ANNO CIↃ · IↃ · CCC · XXVI

Elegia

FRANCISCI CANCELLIERI





PISAVRI

EX OFFICINA NOBILIANA

M. DCCC. XXVI



ELEGIA

Aedes alta, ingens, parvo conjuncta Machuti
  Templo, ac Romano proxima Collegio,
Post varios casus, post tot discrimina rerum,
  Nunc fauste antiquis usibus ecce redit.
Centum habitant lecti Juvenes, laetissima pubes,
  Huc ex italicis undique missa plagis.
Seu genus adspicias, seu quae stat gratia fronti,
  Quantus et ingenuo splendet in ore pudor,
Adspectu caperis primo, miraris, et haeres;
  Vix non caelestes esse putes Genios.
Rursus erit puro haec de sanguine creta Juventus
  Sancto heic Lojolidum recta magisterio,
Quod verum solidae instillat pietatis amorem,
  Et mores format legibus innocuos,
Exercens vigili, noctuque diuque, palaestra
  Addictos Juvenes omne genus studiis.
Sed non Palladio se tantum in pulvere jactant,
  (Quamquam opere ex omni haec cura, laborque prior);
Verum alias etiam sese exercere per artes,
  Ordine quae dignae nobiliore, solent.
Hic spumantis equi rigidos conscendit in armos,
  Flectere et in gyrum mollia crura jubet;

Et modo contractis compescere gaudet habenis,
Et modo anhelanti froena remissa dare.
Illi districto depugnant cominus ense,
Inque vicem assultus, vulneraque ingeminant,
Vulnera sed primam non pervadentia vestem;
E quibus est nullo sanguine partus honos.
Inde alii corpus volucri suspendere saltu,
Et faciles gaudent arte movere pedes,
Seseque ad numeros agitant, spectante Magistro,
Arguta motus et moderante lyra.
Sunt, quibus aut resonas scrutari pectine chordas,
Dulciter et cythara personuisse placet.
Quod vero mirere magis, cuncta ordine fiunt,
Cuncta suo fiunt tempore, cuncta loco.
Nola etenim Juvenes diverso tinnula pulsu
Ad varia huc illuc convocat officia,
Perque haec secta dies toto sic labitur anno,
Vix ut ab officio temporis hora vacet.
Sunt tamen interdum certa intervalla dierum,
Queis datur e longo fessa labore quies.
Tunc prodire domo; fas tunc per aperta viarum
Ferre pedem, et caelo liberiore frui.
Ingentes erat ad Thermas ager *Antonini*,
Nobilitat Cellae quas *Solearis* opus,
Aegrotis etiam quandoque recessus apricus,
Ipsius *Ignati* conditus imperio;
Velus ubi *Aegidius* de marmore vermiculato,
Aere suo, nuper mirum opus effodiit;

Atque ubi *Oriolus* gemmis auroque refertas
Primum ollas grandi foenore protulerat.
Nunc locus est, viridi rident ubi gramina campo,
A Populi obtutu Libera planities.
Excipit heic globulos ferro versatilis Orbis;
Missilibus plumis luditur atque pila;
Ventosi librant pondus quoque mobile follis,
Queis aptae vires, ponderibusque pares.
Dumque Autumnus adest, ac dulces rusticus uvas
Colligit, atque implent fervida musta lacus;
Tibur tunc pergunt ad Templa rotunda Sibyllae,
Qua fluit e celsa rupe cadens Anio.
Ruricolas etiam domus heic alta excipit, ingens,
Quae rerum pulcra visum hilarat specie,
Colles Herculeos, et late undantis olivae
Palladias sylvas undique prospiciens.
Heic magis indulgent ludis; animumque relaxant,
Ac laetos ducunt, et sine nube dies.
Hic speculo fulgente illectas figit alaudas;
Visco ille, aut tendens retia captat aves,
Sibilo et alliciens frigillas dulce canentes,
Subtus arundineae parvula tecta casae.
Decerpunt alii nemorum per confraga flores;
Fontesque invisunt, flumina, prata, lacus.
Quumque dies redeunt, queis fervent orgia Bacchi,
Sacrati genio, laetitiaeque dies,
Abruptis paullum studiis, generosa Juventus
Cum vario ducit prandia lauta joco.

40. Etsi quotidie bissenis mensa rotunda
Praefectoque paret nobile convivium,
Alternis vicibus quo obsonia quisque docetur,
Quo gestu belle cuncta secanda sient.
Amplius haud grandi suras evincta cothurno,
Aut humili socco pulpita, ut ante, premit;
Publica quod peterent nimiam haec spectacula curam,
Palladis utilius quae minuebat opus;
Pegmate ligneolas contenta videre figuras,
Cumque pede, atque manu quae caput arte movent,
Vocesque humanas imitando ludicra promunt,
Cunctorum risus quae facile eliciunt.
Quandoque ac recitant priscorum carmina Vatum,
Quidve nova, ac veteri traditur historia.
Hoc etenim Juvenes, et gestum, et flectere vocem,
Urbanosque modos, qua decet arte, docet.
Saepe super tabulam pila sphaerica curret eburna,
Contra aliam industri pollice missa pilam;
Sternetur recta ter nonus et arte bacillus,
Quos America tribus dividit alveolis.
50. Proxima nam sceleri videretur culpa, vel unquam
Quisquam alea auderet ludere si vetita.
Atque ipsis sua ne desit pergrata voluptas
Auribus, interdum cantibus armonicis,
Multiplicique sono totus late assonat aether,
Responsantque sibi tympana, plectra, tubae
Alterno sonitu: interea, dum pocula sorbent,
Lymphasque obstrictas e glaciale nive,

Dulci succedunt cyathis ex nectare crustae,
Mexica perpetuo fercula dum redeunt.
Sed nimis extenso cogar decurrere campo,
Singula si fando commemorare velim.
Quos pariet fructus, quos et producet Alumnos
Artibus et studiis tam bene culta Domus!
Plaudite Romulidae duodeno jure LEONI,
Cui tantum debet splendida Nobilitas,
Quae recte a doctis iterum formata Magistris,
Virtute illustres denuo reddet Avos.
Patria sic Cives, rectosque Altare Ministros,
Fidos ac Populos sentiet Imperium,
Qui procul a Solio insidias, fraudesque repellent;
Omnibus et stabunt omnia tuta locis.

